



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Martini Bonacinæ Vtrivsque Signatvræ Referendarii
Compendium Omnium Operum de Theologia Morali,
omnibusque conscientiæ nodis**

Bonacina, Martino

Coloniæ Agrippinæ

Ordo.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41152

Non peccat, qui pro propria morte orat, aut pro aliena, vitandum peccatum. Collige ex iis, quæ docet Nav. c. 15. de aliena morte optanda.

Oratio peccatoris & temporalia impetrat, & dispositio ad gratiam, non tamen ex iustitia, sed ex pura Dei misericordia D. Thom. 2. 2. quest. 83. art. 16. Palud in 4. dist. 15. mel. 4. Gabr. lect. 63. super Canones. Navar. de orat. cap. 20. num. 76.

Ordo.

Vide v. Clericus, Matrimonium, Sacramentum.

1. Ordo est sacramentum, quo specialis potestas traditur ad conficiendum corpus & sanguinem Christi. Ordines sunt septem: Ostiariatus, Lectoratus, Exorcistatus, Acolytatus, Subdiaconatus, Diaconatus, & Presbyteratus. De Episcopatu, an sit ordo, gravis est difficultas inter Doctores; dicendum videtur non esse ordinem propriè distinctum à Sacerdotio; & hinc sequitur Episcopatum non posse validè conferri alicui non Sacerdoti, vel infanti: cum Episcopatus non sit ordo distinctus ab ordine sacerdotali, sed illum extendat & supponat. Similiter Archiepiscopatus & Papatu non sunt propriè ordines; neque prima tonsura, per illam enim non datur aliqua potestas specialis ad conficiendam Eucharistiam, sed est tantum dispositio ad ordines. tom. 1. de Sacramento Ordinis, d. sp. 8. quest. unico. punct. 1. num. 1. & seq.

2. Sacramentum ordinis fuit institutum in ultima cœna Luc. 22. Hoc facite in meam commemorationem ibid. n. 7.

3. Non solum ordo sacerdotalis, verum etiam alii singuli sunt sacramenta. Ita Trident. sess. 23. cap. 3. ibid. punct. 2. num. 2.

4. Materia remota sacramenti ordinis est res illa quæ traditur suscipienti ordines scilicet calix cum vino, & patena cum hostia: materia proxima est traditio materiæ remotæ. Validè tamen confertur ordo sacerdotalis, si ex oblivione tradatur vas cum una tantum specie.

Materia	}	Diaconatus,	}	est	{	Liber Evange-
		Subdiaconatus,				liorum.
		Acolytatus,				Calix vacuus
		Exorcistatus,				patena.
		Lectoratus,				Traditio urce-
		Ostiariatus,				lorum.
Episcopatus,	Liber exorc-					
		ismorum.				
		Liber lectionum				
		Cymbalum &				
		claves.				
		Impositio ma-				
		num. <i>ibid.</i>				
		<i>punct. num. 1.</i>				
		& seq.				

5. Contactus materiæ ita est de essentia, ut non censetur ordinatus, qui materiam realiter & physicè non contingit, ut fit in Baptismo, &c. Non est tamen necesse tangere materiam, dum verba proferuntur similitate mathematica, sed morali. *ibid. num. 11. & 12.*

6. Forma sacramenti ordinis sunt verba quæ ab Episcopo proferuntur imperativo modo cum expressione potestatis quæ confertur: hæc forma substantialiter variari nequit. *ibid. num. 13 & 14.*

7. Forma sacramenti ordinis adhibetur imperativo modo, quia per illam constituitur minister & persona publica. *ibid. num. 15.*

8. Episcopus proferens formam, debet etiam exhibere materiam tangendam. *ibid. num. 16.*

9. Valet ordinatio, quando plures initiantur ordine sacerdotali, & Episcopus prolata semel unica forma in plurali, præbet materiam pluribus successivè tangendam, quia materia & forma censentur esse simul moraliter. *ibid. num. 17.*

Ordinis minister.

11. Ordinarius minister sacramenti ordinis est proprius Episcopus, possunt tamen ordines, saltem minores, conferri ab aliis ex facultate Summi Pontificis; modo si sint Sacerdotes: nullus enim, licet Episcopus, non Sacerdos, potest valide